



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De Sanctis Martyribus Argæo, Narcisso, Marcellino Tomis In Ponto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

STRATONICO, MACARIO, ABBANO,  
SATURO, POSSESSORE.

II JAN.

**M**artyrologium S. Hieronymi : Et in alio loco Stratonici, Maccari, Abbani, Saturi, Possessoris. An non hic fortassis est Macarius Abbas? Certe antiquissimum ms. monasterii Rhinowiensis ita habet : Antio-

chiæ Isidori Episcopi, Macarii Abbatis, Saturi, Possessoris, Firmi. Tertium etiam subjiçiemus Macarium ex Vicaria Prefectura Eremitam.

## DE SS. MARTYRIBUS BRITANNIS

## LICHFELDIAE IN ANGLIA.

CIRCITER  
AN. CHR.  
CCCIV.II JAN.  
Lichfeldia a  
cade Marty-  
rum dicta.

Ejus insignia.

**L**ichfeldia civitas est Angliæ in Staffordiensi Comitatu perantiqua, a Beda Lichfeld appellata, quasi Cadaverum campus; quod plurimi isthic Christiani, sub Diocletiano, martyrio affecti sint. Qua de causa civitas pro insignibus scutum depictum gestat, in quo Martyres varii variis modis trucidati exhibentur, ut videre est in Theatro imperii magnæ Britanniæ Joannis Spedi l. 1, c. 33.

2 Horum Martyrum commemorationem II Januarii indicit Martyrologium Anglicanum, traditque S. Am-

phibali discipulos fuisse. De his Beda lib. 1, histor. Anglic. cap. 7, sub finem : Passi sunt ea tempestate Aaron et Julius (qui I Julii coluntur) Legionum urbis cives, alique utriusque sexus, diversis in locis plures, qui diversis cruciatibus torti, et inaudita membrorum discriptione lacerati, animas ad supernæ civitatis gaudia perfecto agone miserunt. De his pluribus agit Mattheus Westmonasteriensis ad ann. 303. Nicolaus Harpsfeldius 3 secul. cap. 10.

Multi isthic  
occisi.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

## RUTILA, CLAUDIA, AURICA IN ÆTHIOPIA,

## ITEMQUE VITALE ET STEPHANO HIEROSOLYMIS.

II JAN.

**M**artyrologium S. Hieronymi : Et in Æthiopia Rutilæ, Claudiæ, Aurigæ, Vitalis de Hierosolymis, Stephani. Usuardi editio Coloniensis ann. 1321. Hierosolymis Stephani et Vitalis. Item Tubiæ, Rutiliæ, Vitalis : sicque duos Vitales recenset, ceteri unicum. Antiquum ms. Martyrologium monasterii S. Martini Treviris : Et in Hierosolymis SS. Stephani et Vitalis, ac ne quis suspicetur

de Octava S. Stephani Protomartyris esse sermonem, de ea separatim agit. ms. S. Lamberti Leodii, cui Beda præfixum nomen : Hierosolyma Stephani et Vitalis. ms. S. Mariæ Ultrajecti : Hierosolymis SS. Stephani et Vitalis. Idem hic est fortassis qui I Januar. refertur in eodem S. Hieronymi Martyrologio his verbis : In Oriente Stephani. Idem habet ms. item vetustissimum Rhinowienste, eodem die.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

## ARGÆO, NARCISSO, MARCELLINO

## TOMIS IN PONTO.

SUB LICINIO.  
II JAN.S. Marcellinus  
quia noluit  
militare con-  
tra Ecclesiam  
occisus, Mar-  
tyr habetur.

**Q**uod impia tyranni contra Ecclesiam et legitimum Principem signa sequi nollet Marcellinus, ab eodem trucidatus cum fratribus est : omnesque in album Martyrum ab Ecclesia sunt relati. Horum Acta desiderantur : de causa mortis ista habent vetera Martyrologia. Usuardus : In Ponto, civitate

Tomis, trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri, qui sub Licinio Principe inter tyrones comprehensus, cum nollet militare cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, atque in mare mersus, martyrium consummavit. Eundem habet Bellinus; addit Martyrologium Romanum : Fratres vero ejus gladio perempti

Quæ passus  
sit.



Corpus ad lit-  
tus delatum.

perempti sunt. *Eadem fere Maurolycus, et Ado, qui addit* : Corpus ejus ad litus delatum, et a religiosis viris depositum, magnis coruscant virtutibus.

2 *ms. antiquum monasterii S. Laurentii Leodii, quod nomen Usuardi recenti manu adscriptum præferebat, licet Adonis potius sit. ms. itidem vetustum domus Professæ Societatis Jesu Antverpiæ* : In Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri, qui sub Licinio inter tyrones comprehensi, cum nollet militare cæsi ad mortem, et diu in carcere macerati, in mare mersi martyrium consummaverunt. Corpora eorum ad litus delata, et a religiosiis viris deposita magnis coruscant virtutibus. *Eadem habet ms. Martyrologium Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti, nisi quod de ejectis in litus corporibus non meminit. Consentit fere Usuardi editio Colonienfis anni 1490.*

3 *Galesinius, nescio quo auctore, quædam alia narrat de fratribus* : Tomis in Ponto, sanctorum Martyrum Argæi, Narcissi, et Marcellini. Hic cum sub Licinio Principe militare nollet, quoniam se Christianum esse affirmaret, nec debere properea illius, idola colentis, militiæ adscribi; eam ob causam virgis crudeliter cæsus, diu in vinculis fuit. Quem Argæus et Narcissus fratres cum aliquando inviserent, comprehensi item

sunt, et in carcerem conjecti, in Christianaque fide constantes, securi percutiuntur. Marcellinus autem in mare projicitur: sicque hic et illi duo martyrio coronantur. *Eadem fere habet Martyrologium Germanicum.*

4 *Notherus* : Et in Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri. Item Tomis Philii Episcopi. Qui sub Licinio Cæsare inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, et in cippo missus, deinde in mare demersus, martyrium consummavit. Cujus corpus ad litus delatum, et a religiosiis viris depositum magnis coruscant virtutibus. *Hrabanus, quæ hic de Philo dicuntur, ea Tito Episcopo tribuit 3 Januarii; ms. S. Maximini Treviris similiter 3 Januar. Philo. Argæi vero et fratrum neuter meminit. Sed a librario S. Marcellini et Theogenis filii Episcopi confusa nomina, quibus eadem fuit obeunda mortis causa. Vide dicenda inferius 3 Januar.*

5 *Vetustissimum ms. Martyrologium S. Hieronymi 3 Januarii* : Et in civitate Tomis Claudonis, Eugenius, Rhodi, trium fratrum, Argæi, Narcissi et Marcellini pueri Christiani et Diogini, Eugenti, Rodonis, Primæ. *Nostram de his conjecturam vide 3 Januarii.*

EX VARIIS  
ACCT.

Eadem tor-  
menta passi  
fratres dicuntur.

Dum Marcellinum visum,  
capti.

A quibus-  
dam 3 Ja-  
nuar. colum-  
tur.

## DE S. ISIDORO EPISCOPO

### ET MARTYRE ANTIOCHIÆ

II JAN.

### ET DE S. SIRIDONE EPISCOPO.

**M**artyrologium Romanum : Antiochiæ passio B. Isidori Episcopi. *Beda* : Et S. Isidori (ms. Bavaricum Isidoni) Episcopi et Martyris. *Eadem habet appendix Adonis. Usuardus et Bellinus de Padua* : Apud Antiochiam passio B. Isidori Episcopi. *Ejus meminere pleraque mss. Sed quædam Episcopum tantum vocant, nulla facta martyrii mentione. Galesinius* : Antiochiæ S. Isidori Episcopi et Martyris : qui Catholicæ fidei defensor acerrimus, ab impiis Arianis vehementer oppugnatus, demum in summo certamine fortiter se gerens, pro Christo Domino sanguinem profudit. *Sed non indicat unde ista hauserit Galesinius.*

Isidori memo-  
ria in sacris  
tabulis.

Forte Donus  
Episcopus.

2 *Martyrologium S. Hieronymi* : Isiridoni Episcopi Antiochiæ. *Quæ ita legebat Rosweyda noster* : Isiri Doni. *Putabat enim Donum quempiam Episcopum Antiochenum in loco aut ergastulo, cui Isiris nomen esset, (qua notione vox illa ab Hebraica radice in Græcum idioma detorta reperitur) vitam finisse. Suspicio ego Stridonem, et Isidorum eundem esse, qui forte et Isi-*

*ridonus sit appellatus. Idemne tamen sit Donus aut Domnus non possum certo statuere. ms. Florarium Sanctorum, Antiochiæ Syndan (forte legendum Siridoni) Episcopi et Martyris. Sunt qui hunc eundem esse existiment cum S. Isidoro Nitriæ Episcopo, de quo inferius agemus.*

3 *An est fortassis hic Isidorus Episcopus, quem Maurolycus, ms. Florarium, et Galesinius vii Januarii, et hic quidem Nicomediæ passum scribit? Baronius in Notis ad Martyrologium, ait Isidorum nequaquam Antiochenum Episcopum fuisse, licet Antiochiæ passus prodatur.*

4 *De Siridone ista habet Martyrologium Romanum, et Molanus in Additionibus at Usuardum* : Ipso die S. Siridonis Episcopi. *Citat Baronius in Notis, vetustum codicem. Editio Colonien. Usuardi anni 1521, et Martyrologium Germanicum, ac ms. Florarium* : Stridonis Episcopi et Confessoris. *Hunc Spiridionem quidam nuncupant, alii Spiridonem.*

De S. Siri-  
done Episco-  
po.

NOT. 25.

## DE S. BASILIO ANCYRANO

### CÆSAREÆ IN CAPADOCIA.

Sub  
JULIANO.

II JAN.  
Duo Basilii  
Ancyran  
Martyres.

Unus Cæsareæ  
passus.

**B**asilii Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter, martyrio sub Juliano apostata coronatus, celebratur xxii Martii. *Alius ei cognominis, ejusdemque gloriæ participes, sed laicus, sub eodem tyranno isthic Basilii vixit, cujus ii Januarii natalis agitur. De hoc Ferrarius in generali catalogo Sanctorum* : Cæsareæ Cappadociæ, S. Basilii Martyris sub Juliano apostata. *Menologium Græcorum* : Natalis sancti Martyris Basilii ex urbe Ancyra, qui Cæsareæ, Imperatore impio Juliano, Præsidi Saturnino, passus est.

2 *Martyrologium Gallobelgicum hoc die Basilium*

*Presbyterum refert, omittitque xxii Martii. Plenius hujus non Presbyteri agorem narrant Menæa* :

3 *Hic impio Juliano rerum potente, Ancyre natus, dum Christum et coleret et prædicaret, comprehensus Tarvilo Præsidi sistitur : apud quem cum Christum libera voce profiteretur, suspensus crudeliter laceratur : dein Ancyra Constantinopolim ductus, iterum ferro carpitur, adeoque distenditur, uti manuum pedumque compages diductæ solverentur : tum loris cæditur, et candenti ferro ustulatur, et compungitur. Cumque omnia generose exantlaret, a*

\*Bader. Tran-  
quillo, imo  
Tranquillino.  
vel potius Sa-  
turnino.  
Dire cruciatus  
Constantino-  
poli.  
Deo